



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VI. Quomodo corpus Iesu Christi sit in Sacramento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

vno consistere, quod Luthero teste, non credunt id Deum posse facere quod Iesus Christus dixit. Mirum ergo non est Catholicam doctrinam ab eis comprehendere non posse, quæ docet panem Corpus Christi fieri eo quod ipse Christus id dixerit, verum quidem corpus, non tamen vllis Mathematicis dimensionibus, longitudini, latitudini aut profunditati subiectum. Potest enim Deus qualitatem & quantitatem, potest idem quando voluerit, accidentia omnia à substantia separare, quemadmodum idem calorem & vim vrendi aliquando igni adimit (quamuis illa inhærens sit qualitas, & à subiecto suo naturaliter inseparabilis) tum scilicet quum tres adolescentes in medio ignæ fornacis illæfos conseruauit. *Corpus hoc*, dicit S. Chrysostomus, (a) eodem tempore in excelsis ad Patris sedere dexteram, & hic infra manibus nostris tractari. Et quemadmodum corpus Iesu Christi, quamuis verum & naturale, spiritualiter tamen & miraculose fuit conceptum, sic idem non diuisum sed totum, non mortuum, sed viuum Sacramentaliter & miraculose à nobis manducatur. Quod autem sub speciebus panis & vini Christus id manducandum dedit, in eo se infinitati nostræ se accommodauit. Theophylactus quidem (b) *Panem videri, sed reuera carnem esse affirmat*, de quo Ecclesia ita canit:

A sumentis non concisus, non confractus non diuisus, integer accipitur.

Sumit vnus, sumunt mille, quantum istantum ille, nec sumptus consumitur.

Fraçto demum Sacramento, ne vacilles sed memento, tantum esse sub fragmento; quantum toto tegitur.

Nulla rei sit scissura, signi tantum sit fractura, nec status nec statura, signati minuitur.

Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, vere panis filiorum, non mittendus canibus, &c.

VI. Sed quærunt, quomodo sub tam exiguo pane seu hostia corpus viri comprehendere possit? Respondemus. 1. Quis à te, O Christiane, exigit scientiam modi, quo Deus aliquid facit aut fecit? rem tibi reuelauit, cum panem haberet in manibus, dicendo *Hoc est corpus meum*. Hoc crede & sufficit. Ut tamen nemo suspicetur grandem hinc latere contradictionem, Respondemus 2. Curiosus: Corpus Christi in Eucharistia non esse modo cæterorum passibilium corporum, quæ partem vnam in vno loco, alteram in altero habent com-

mensuram & coextensam, sed eo modo quo Angeli & animæ hominum sunt in loco aliquo, nempe *toti in toto & toti in qualibet parte*. Manifeste hoc experiuntur & vident Sacramentarij indies in homine, cuius anima vna eademque numero manens sine augmento & decremento sui, modo est in infanti corpuscule, postea in grandi staturâ viri. Et hoc est quod Saluator innuere voluit, tunc cum apud S. Ioannem. Quomodo itis primis apud Capharnaum respondit pro Catholicis: *Verba que ego loquor vobis spiritus & vita sunt*. Nimirum, non dabo vobis carnem meam, ad sex pedes extensam in longum & vnum amplius pedem in latum, vt eam sic deglutiatis, hoc enim modo ora vestra & guttur carnem meam non caperent, sed existentem sub speciebus panis, ad modum spirituum siue Angelorum, qui *toti sunt in toto & toti in qualibet parte*: Sed neque dabo mortuam, vt piscium & vitulorum & arietum caro datur manducanda de macello & culina; sed *viuam*, siue *vitam ipsam*, eroque in vobis ita vt possitis pariter dicere *Spiritus oris nostri Christus, & Vita nostra Christus*. Sed pergunt arguari, dicentes, Christum alibi quoque dicere, *Ego sum vitis, ego sum ostium, ego sum petra, &c.* neque tamè vere ac realiter horum aliquid eum esse. Sic quoque panem non esse ipsum corpus Christi, sed figuram tantum. Sed an nescitis improbi quæ ibi à Christo dicuntur, per parabolam tantum & similitudinem dici? Cum nullam ibi aliam adiunxerit actionem, unde aliter quam hominum mos est talia, quam tropice accipi debere, constaret, dicimus enim hodieque de stupidis; *Truncus est: Asinus est &c.* de gratiosis verò *flos est, est anima mea &c.* quæ dicentes eum neque hunc truncum, neque istum Asinum & cæterorum aliquid monstremus, tropo nos vti manifeste indicamus. An tu Sacramentarie ostendere potes quod Saluator vitem, ostium aut petram manu tenebat, & se hoc monstrando esse dicebat? quid igitur ista de Vite &c. affers incongrua ad rem alienam? non dixit ille: *Hæc vitis, hæc petra meum est corpus*, quemadmodum in Cœnæ suæ institutione fecit, benedicendo panem gratias agendo &c. adhibendo apparatus, sed vos, ô pleni dolo, qui non cessatis subuerrere vias Domini rectas. An vobis Christus non est *vera vitis? Ostium verum? vera petra* &c. quæ se esse dixit? certe est teste S. Augustino & alijs Catholicis Doctoribus qui aiunt. *Quid ergo*

X

a Lib. de Sacerd. b In 26. cap. Matth.

est vitis vera? nunquid addens vera hoc ad eam retulit vitem, vnde ista similitudo translata est? nequaquam: sic enim vitis dicitur per similitudinem, non per proprietatem sed cum dicitur vitis vera, ab illa utique se discernit, qua expectata ut faceret vnas, fecit labruscas. Si igitur vim discretionis attendimus Christus & vitis vera est, & per similitudinem est. Si Dominum cum vite quæ est in vinea Engaddi comparas, utique non est ista vitis & sic nec Christus est panis pistoris ex farina & aqua permixtis coalitus, nec ostium ex lignis & cardinibus coagmentatum, quæ in foro emuntur & venduntur & c. Vere ista Christus non est, & tamen vere est panis, quia ingressu suo reali in hominem, uti panis, eum confortat & vivificat in anima sua, uti panis pistorius in corpore confortat corpus. quid ad hæc habetis Sacramentarij stupidi?

Verum ephecaat illi: Annon Christus discipulis mysterium illud de manducanda ipsius carne non capientibus, dixit: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam? Vere ita dicit, neque tamen inde efficitur panem non esse corpus Christi. Sicut enim ex eo quod Christum dicimus Deum, Catholicus non debet negare esse & hominem; & dicendo esse carnem factum non negat semper fuisse Deum: ita simul vere est caro & est spiritus. Deus enim spiritus est, & anima eius spiritus est, & caro eius in loco existendo spiritum imitari potest, & in Sacramento semper imitatur: sicuti & tunc imitatus est cum ianuis clausis ad discipulos intravit. Hoc igitur Christus voluit dicere: Cogitatis vos, carnem quam ego vobis manducandam daturus sum, carnem esse sine anima, sine spiritu, carnem denique mortuam & mere humanam, id est, à diuino spiritu & diuinitate separatam. Erratis: Non ita ut vos cogitatis dabo carnem meam. Ego carnem meam daturus sum, cum anima mea humana & diuinitate coniunctam; quibus illa destituta, parum & quasi nihil prodesset, & aeternam vobis dare vitam non possit. Et sic spiritus ero in ore vestro stomacho vestro: eroque ipsa vita, & secunda Trinitatis persona, qua vitam per hoc carnis sua instrumentum præsens vobis largietur, in qua carne illa, tamquam in ara, vestram salutem operata est suamque vobis gratiam communicauit. Et vitam ipsi infundit & largitur qui nec vitam nec spiritum antea habuerant. Hoc opus est Sancti Spiritus & Dei vitæ auctoris. Spiritus Sanctus accedit ad Elementa, eisque vitam seu gratiam suam inspirat, ut quæ antea sine anima & vita fuerant, iam viva sint & animata. Caro, id est, merus homo seu sola

virtus & operatio hominis, utpote nimis ad tantum capiendum vel efficiendum mysterium infirmi, non prodest quidquam mea vero caro utpote diuinitati unita mundi pretium est, datque vitam mundo, & c. Et sane vox hæc Caro, quoties in S. Scriptura sola ponitur, (a) significat, subinde partem illam hominis irrationalem, subinde purum hominum. Quasi dicere voluerit Saluator: Sensus carnalis in tam altis & sublimibus cogitationibus nihil valet, nihil potest, nisi Spiritus S. gratiâ adiuetur. Quando vero Saluator de sua carne loquitur, statim subiungit, Caro mea, Corpus meum, Corpus Filij hominis. Sic ergo hoc loco carnem absolute nominans, non de sua Carne, sed de nostra in tanto mysterio sine Spiritu S. gratia per scrutando imbecillitate loqui clare intelligitur. Sed hæc enim alta sunt, Sacramentariorum subtilium ingenijs, quæ Catholicis vel simpliciter credunt, vel docte intelligunt. Itaque descendamus paululum de monte ad turbam, neque arcana Dei ulterius coram indoctis inquiramus; (b) credamusque Iesum Christum in sancta esse hostia, non solum fidei nostra auxilio, ut Sacramentarij, verum etiam ut Catholica semper credidit Ecclesia, Spiritus S. operatione, qui id quod aberat Christi Corpus ad vocem sacerdotum rite ordinatorum, sacramentaliter, realiter, corporaliter, & spiritualiter præsens facit. Et hæc de Sacramentariorum contra Deum & Ecclesiam super venerabili SS. Eucharistiæ mysterio, tam imperite, quam impie ex cogitatis iniurijs & blasphemijs dicta sunt. Vitam vero recte viuendi potius quam disputandi nobis esset desiderium? & locustorum verborum, Hoc est (quæ tanto constiterunt sanguine, nec minores turbas quam illud *ἡμῶν* olim contra Artianos, & *ἑτερόδοξοι* contra Eutychianos excitauerunt) Concionatores nihil aliud quam amorem Dei & proximi in ore haberent, & auditores ad peccatum detestandum ac virtutum ardenti studio colendam atque exercendam vnice adhortarentur, ac tam illius pœnam quam huius gloriam & cœlestis præmium inculcarent. Hæc enim duo veluti momenta sunt & pondera, quibus actio- num nostrarum horologium facile in quamcumque partem mouetur.

DE

a Matth. 16. Ad Rom. 3. & 8. Ad Gal. 1. Aug. in Psal. 98. Hesyeh in 22. cap. Leuitici. b Vide per singula sæcula id ostendentem Gualterij Tabulam Chronologicam, & Garecium, & Camisij opus Catechisticum & Coturium, & c.